



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 86. An juramentum obliget, si opponatur priori juramento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

unde etiam hæc sententia valde probabilis est :  
manet autem certum, quòd fictum juramentum  
obligare possit, non tantùm ratione scandali, sed  
etiam ex Justitia, ratione damni, quod alter ex tali  
dolo pateretur, uti omnes docent cum *Dicast. supra*  
& *Sylv. in Res. Cas. p. 1. v. Restitutio, Cas. 1* ; attamen  
his sententiis non obstantibus docet absolutè *Illf.*  
T. 5. num. 56, fictè jurantem tantùm obligari,  
si Juramentum sit dolosum, id est, contra Jus alte-  
rius, quia nempe ex Justitia tenebatur seriò jurare ;  
hinc dicit fictum juramentum nunquam causare  
obligationem ex virtute Religionis, sed solius  
Justitiæ, quæ sententia etiam probabilis est.

Q. 86. *An Juramentum obliget, si opponatur* 322  
*priori juramento. R. §. 1. Unum Juramentum*  
potest opponi alteri, vel in actu jurandi, vel  
in materia jurata: Tum opponitur in actu jurandi,  
si v.g. priùs jurasti te nunquam ampliùs juraturũ,  
nam si postea iterum jures, te, v.g. daturum elee-  
mosynam, hoc Juramentum opponitur primo,  
non quoad materiam, priùs enim Juramentum  
non fuit circa eleemosynam, sed tantùm  
quoad actum jurandi. Tum opponitur in materia  
jurata, si illam materiam, quam priùs jurasti facere,  
postea jures non facere, vel contra, uti quando  
jurasti dare eleemosynam, si postea jures non dare :  
hoc notato,

§. 2. Si posterius Juramentum opponatur priori 323  
tantùm in actu jurandi, posterius obligat, quia est  
de materia licita : Si autem opponatur in materia  
jurata, non obligat, quia materia illius est per prius  
Juramentum reddita illicita, ita *Sanch. c. 9. num. 26.*  
*Castrop. d. 2. p. 7. §. 6. Tamb. §. 5. n. 7* ; hinc si jurasti  
matrimonium Cajæ, & postea etiam jures Titia, hoc  
secundum est irritum ; imò licet non jurasses,

sed tantum promisisses Cajæ, *Sanch.* de matr. L. 1. d. 50. n. 2. adhuc dicit Juramentum illi promissioni oppositum fore irritum, quia materia per obligationem promissionis erat reddita illicita, unde si Cajæ tibi postea remitteret primum Juramentum vel promissionem, non obligareris Titia, quia quod initio invalidum est, tractu temporis non convalescit, uti habet communis regula Juris. Si tamen tales posteriores contractus impleantur, sunt validi, quamvis sint illiciti, uti habet communis & vera sententia cum *Sanch. Tamb.* n. 9. & aliis, quia per Juramentum non tollitur potestas faciendi actum, qui alias poterat valide fieri. Vide *Dicast.* d. 3. à num. 199.

- 324 Q. 87. *An Juramentum alteri factum obliget, si hoc, quod jurasti, obstet fini perfectiori.* R. Affirmant Authores communiter, quia in promissione semper spectatur, quod gratius est illi, cui fit promissio, cum autem homini sæpe gratius sit minus bonum, Juramentum de minori bono homini factum obligat, si tamen sit acceptatum, secundum dicenda n. 358. & iterum à num. 532.
- 325 Hæ tamen limitationes addi possent: 1. Si matrimonium liberaliter jurasti, non teneris, si velis ingredi Religionem, uti omnes docent cum *Castrop.* d. 2. p. 6. n. 10; si tamen sacros Ordines tantum velles suscipere, non eses liber, uti notat *Tamb.* §. 3. num. 16, quia promissio tua ex dispositione Juris non habet aliam conditionem, quam hanc, nisi Religionem elegero. 2. Si jurasti alia, quam matrimonium, quæ obstent ingressui in Religionem, v. g. si jurasti te famulaturum toto tempore vitæ, *Tamb.* n. 14. putat te non obligari, quia si conditio illa, nisi elegero Religionem, involvatur in Juramento matrimonii inveniendi,

multo